



LXX.

Γ Α Μ Η Λ Ι Α

In Honorem Nuptiarum Pietate Eru-
ditione & Virtute Præstantis, Reveren-
di Viri,

DN. AMBROSII

LEPSII, PASTORIS IN VVEI-
den, Stackliz & Hundelavv vigilantissimi,
Secundùm

S P O N S I.

&

Lectissima, Pudicissimaq; Virginis

G E R T R U D I S ;

Clarissimi & Reverendi Viri

DN. M. JOHANNIS THEOPOLDI

Ecclesiarum Principatus Anhaltici Cifalbi-
narum Inspectoris & Superintendentis dignissi-
mi; Et ad D. Nicolai Servestæ concionatoris Prima-

rii, filiaæ dilectæ, primùm

S P O N S Æ.

FAUSTITER Celebratarum XI. EID. JUN. IN
Prytaneo SERVESTANO NOVO.

Scripta

Ab

*Amicis, fautoribus, cognatis, affinibus, fratribus &
conhibis*

Anno Salutiferi partus Virginis clc. lœc. XXIV.

Servestæ, Excudebat Zacharias Dörfler.

Handwritten text, likely a title page or preface, written in a historical script. The text is arranged in several lines and is enclosed within a faint rectangular border. The ink is dark and the paper is aged and yellowed. The text is mostly illegible due to fading and the quality of the image, but some words like "AMBRORIO" and "PASTORIS" are visible.





Ad dominum S P O N S U M.



Incne tibi visum, *Lepsi* doctissime, *Musas*,
Ut thalamū decorent, sollicitare meas!
Siquid posse meas credis, fastigia templi
Testor, iudicium devius error habet.
Verte gradum, sublimi ubi vertice sidera tangit
Nicoleus, properum figito, *Sponse*, pedem:
Heic vates inter caput inter nubila condit,
Naso, *Maro*, *Flaccus*, quicquid & *Hellas* habet:
Barbara cui metuit *Musa* occinuisse canenti
Jam pridem denso pulvere rauca *Scholæ*.
Hic generosus *olor* facundo gutture carmen
Divinum promet. Stridulus *anser* eat:
Hoc *Socer* officium *Genero* debere fatetur,
Cujus *Musa* aliis officiosa fuit.
Vota mihi fuerit *Soceri* satis ista probare,
Fas admirari vota sit ista mihi.

Marco Friderico VVendelino.

G. A. R.

A 2

Ad

Ad

*DN. Sponsum, Affinem suum hono-
randum.*

OMnibus in Mundo divina POTENTIA rebus
Præfixit metas. constituitq; vices.
Ver hyemem sequitur, Lux umbras, nubila Phœbus,
Mœrorem & lacrymas, gaudia, Sponse, tuas.
Funera mœsta piæ flevisi Coniugis, atrâ
Ante diem rapuit quam tibi Parca manu.
Nunc iterum lætam pertentant gaudia mentem;
Et decorant hilares florida ferta comas.
Nunc GERTRVDA, pii flos illibatus Amoris,
Pergit in amplexus Sponsa petita tuos.
Vulnera quæ sanat, læsum quæ funere pectus
Quâ valet eloquii parte levare, levat.
Hancce cole; hancce cale, vidui solatia lecti,
Cum quâ dulce tibi vivere, dulce mori.
Salve ô fausta dies! Nox ô faustissima salve!
Quâ DEUS hos thalami fœdus inire facit.
Salve, SPONSE, Decus Sponsæ exoptate Tonanti;
Salve Mystarum flos Reverende patrum.
Quæ tibi Sponsa datur, tibi non sine Numine Divûm
Sponsa datur; Sponsam(en!) Fata dedere tibi.

Fata

Fata dedere tibi Sponsam, quam Vota volebant.
Castam igitur Costam dilige corde tuam.
Tu quoq; , SPONSA, Decus Sponsi, flos caste, Pudoris
Salve, virginei Gemma, Decusq; chori.
Dilige casta tuum Sponsum, qui flagrat amore
Sponsa, tuo: Sponsi sit tibi cura tui.
Vivite felices, thalami felicia vincla
Jungite: P A X vobis adsit, & absit ERIS.
Vos neq; lis, neq; vis turbet: mens ferueat una:
Vnus Amor spiret: spiret & una Fides.
Nascatur soboles similis Pietate parenti,
Et matri morum par Gravitate sua.
Vincite Nestoreos annos; post funera coeli
Gaudia det Summi Lux & Imago Patris.
Eventura precor; votis DEVS annue; curæ,
Cui sunt astra Poli, cui quoq; rastra Soli.

Ioanne Cramero. D.



A L I U D.

Quis neget esse tori socialia fœdera JHOVÆ
Omnipotentis opus, qui super astra sedet?
Primus is instituit hæc jura sacerrima lecti,
Ex glebâ ut terra factus Adamus erat.

A 3

Formo-

Formosamq₃ adspectu adduxerat ille puellam,
Membraq₃ cognorat corporis iste sui.
Ergo quis putet esse nefas ambire puellam
Prestantem, Vitâ, moribus, ore, oculis!
Quis nollet summi mandata tenere parentis?
Fœdera quis thalami nollet mire sacri.
Hoc facis ô pie Sponse thori dum fœdera casti
Intras, Gertrudis puraq₃ Vincula subis.
Ergò tu gaude tibi Sponse piissime gaude,
Bellula Sponsa tibi ducitur ecce domum.
Sponsaq₃ tu gaude tibi nunc de compare parto,
Conjuge cum conjunx qui per amanter aget.
Mutuus esto amor hic: Sponsam tu dilige Sponse,
Est formosa satis, dum generosa satis.
Quin oriunda piis (magnum) genitoribus extat;
Est pia; Virtutis Doteq₃ clara viget.
Sponsaq₃ tu Sponsum redama Virtute Celebrem,
Est probus, est pius, est palladis arte gravis.
Quin sacra jura docet (multum) monstratq₃ subintret
Ostia quî Summi turba misella poli.
Cedat lis inimica tori, succedat at ardor
Legitimus, dolor hinc anxius esto procul.

Vivite

*Virite concordēs, Pylei det Nestoris annos
Vobis, & cervi vivere secla DEUS.
Impleat are domum multo, det Sponsa pudica
Salva ferat thalami pignora mille tui.*

Χεγροδισιχον.

*Continens Annum Mensē & Diem
Nuptiarum.*

*Ter septen Vsa Dest IVnl ort Vs, Lepslo & eCCe
Sponso, Gertr VDI Sponsa Cata aCCe Lerat.*

*A. M. Bartholomæo Schrötero
Philomath.*



*Ad Dominum Sponsum: se-
quentia:*

DOctis lætantur docti: pietate periti:
Gaudet vir focii foedus inire tori.
Tu quoq;, quem satagit pia turba audire docentem,
Myſta, piâ gaudes virgine, jure bono.
Quis neget? autorem thalami junxisse Jehovam
Sponse, tibi fociam, quæ fata patre pio est.

Hinc

Nam veluti calor est igni per secula junctus:
Sic tua Sponsa pio stet benè nixa toro.
Hinc voveo, faveant vobis sacra Numina: dum tu
In servis templo, casta marita foco.

Abrahamo Cremero.



AD

Clarissimum & Reverendissimum
Virum,

DN. M. JOHANNEM THEOPOLDUM,
Ecclesiæ Servedanæ Superintendentem,
Sponsæ parentem, affinem suum reverenter
colendum,

Non pudeat, venerande senex, fragrantia sarta
In nitidos crines exsultim verticis albi
Spargere, dum thalami ingreditur tua filia jura.

BERSMANNUS, VOITUS, traherent si, MAJOR, amici
Nunc auras casti, nobiscum jungere vota
Non sua cessarent, docti depromere scitè
Ludenti, ut nôsti, fluitantia carmina versu.

Res

Res pia, gratà Deo, natas poscentibus annis
Associare viris doctis: nam (pagina sacra
Ut tradit) jubet hoc Deus, est qui fons & ongo
Conjugii casti: Sese inter LEP SIV S atq;
GERTRVD, quàm bene conveniunt; est ille Sacerdos
Hæc Superattendentis filia, virgo pudica:
Ut natam & natæ videas in secla nepotes,
Scripturæ sacræ nodos qui solvere nosti,
Apprecor ex animo, fautor clarissime fido.

Nunc fas esse puto, letum pro more precari
Auspicium Sponsis: socialibus ominat ædis
Prospera sint rogitò; firmis cum viribus esto
Sana valetudo; sit quæ cornicibus ætas,
Nulla maritalem dissolvant jurgia amorem:
Sic genus extendet pulchrâ se prole beatum.

Quæ precor, hæc mitto bona verba: nec amplius opto,
Quàm Deus ut faxit mea sint firmissima vota.

Friderici Hamelii Reip.

Servest. Senatoris

duxædior gratulatorium &c.

B

Ad

AD

Reverendum & doctissimum
Virum

DN. AMBROSIUM LEPSIUM,
Episcopum VVeidensem, secundum
SPONSUM.

Nuptam serenis quando avibus petis,
LEPSI, secundam, & frigora lectuli
Calore permultas novello,
Mens agit in facinus nefastum;
Si quam meretur dogma tuum fidem,
Montane, dudum quo calidâ nimis
Contentione nuptiarum
Pacta iterata malè improbasti:
Aut si insolenti *Romulei* foret
Oranda nobis causa foro *Caci*,
Nolunt jugales ferre *Mystras*
Papicole malè feriati.
Montana nilte somnia, nil movent
Commenta *Papa*, queis aliam impetu
Amente mentem veritati
Sideræ adfricuisse gaudent.

Quin

Quin jam *secundâ* Sponsus Jò vice
Amas vocari, nam tibi perplacet
Hæc una lex: semper PROBARE
JUSSA DEI, REPROBARE PAPÆ.
Quo jure nupsit, Sponse, tibi prior
Marita, eodem jure quoq; altera
Tecum integrat vicem jugalis
Fœderis uxor amans *secundam*.
Ergo *secundum*, Sponse, viraginis
Quem fors maritum fecit amœnior,
Lætare, concessisq; fructu
Utere muneribus perenni.
Dono Tonantis Sponsa tibi venit,
Gravissimorum quæ tibi plurimam
Molem laborum suavitatis
Temperie relevabit aptâ.
Quid, *Mome*, jactas, quid tibi tædia
Connubiorum, quæ solet invicem
Movere primus Dux Averni.
Conjugibus, memorare sumis?
Multum irremissæ proficiunt preces,
Si profluant ex mutuo amore, nec
Bivv 2 Fru.

Frustratur error, tantum amicæ
Robur inest pietasq; menti.
Quâ sospitavit Numinis enthea
Virtus prioris fata tori, precor,
Ut & *secundam* faustitate
Nuptam itidem omnigenâ coronet,
Ut mente sanâ & corpore præditus
Uterq; sano, non modo filios
Et filias, verum & nepotum
Connumerare queat nepotes.

f.

A Felice Haustedio
Theologiae Studio.



AD

Juvenes, nuptias hasce visi-
tantes.

HAut falsum est verbum: (Juvenes, concedite? bella
In virgine vivit Amator.
Prima parans thalami præsens hic gaudia sponsus
In virgine vixit Amator.
En idem hic, chara defuncta conjuge, rursus
In virgine vivit Amator.

si

Si quis vestrum ergo est Iuvenes, Venere imperitante
Qui vivere gestit Amator:
Ne spectet viduæ plumas : quin hisce relictis
In virgine vivat Amator.

f.

â Zacharia Mullero
Ascanio.



A L I U D.

Sis hilaris, Sponse, & bellâ de virgine gaude
Promens lætitiæ plurima signa novæ
Hic namq; est felix, cui vitâ & moribus aptam
Sponsam concordî fœdere junxit Amor.
Sponsa levat curas, solatia tristibus addit,
Sponsa domus custos, sponsa perennis honor.
Ergo quid cessas? Sponsam hanc complectere amore,
Nam dicat hanc thalamo ritè Jehova tuo.
Et tu, sponsa, isto nam te DEUS ipse Marito
Donat, constanti hunc pectore semper ama.
Sis hilaris, sponsa, & sponsum amplectare Maritum
Promens lætitiæ plurima signa, Vale.

F.

ab Andrea Resio Plotzcovia.

Anhaltino Paranymphe.

A 3

замѣн-

γαμήλιον

Plucerrimè olim quod cecinit pius
Ecclesiastes, regius ille vir,
Dum, Spiritus Sancti favente
Numine, talia verba profert:

*Eccl. 4. Visa est duorum vita mihi optima,
Quos jungit equali una lubens fides
Amore; Nam merces eorum
Optima erit proprio in labore.*

*Namq; alterum alter, sic cadat, eriget,
Illum nec abjectum esse diu sinet:*

*Uni ergo va! nam qui juvare
Possit eum haud fuerit secundus.*

*Si lecto in uno conveniant duo
Invadit horum membra calor citò:*

*Sed unus in lecto cubans, qui
Frigida membra riget calore?*

*Hoc, Sponse, tecum pectore ponderans,
Leto peremptam post sociam tuam,
Diutius lecto recusas*

*In viduo recubare solus.
Juncturus ergo mox aliam tibi
Duræ ante brumæ frigida tempora,*

Quo

Quo fata te trahunt benigna ;
Et retrahunt, sequeris libenter.

Te Patris ædes fata jubent mei
Adire, monstrant & tibi virginem
Castam, piam, pulchram, pudicam ;
Dant sociamq; tibi puellam.

Meam sororem dant sociam tibi,
Illamq; jungunt, en, lateri tuo,
Ut recreet die atq; nocte
Te, relevetq; tuos labores.

Fas esset omnino ut quoq; carmine
Congratularer dulcisono tibi ;
Sed querquera, heu, febris facit nunc,
Ut sileat mea, Sponse, mula.

Non tantum enim cogit calami bonam
Crenam mei deponere ; sed quoq;,
Urit vice alternâ, atq; perdit
Sanguinem & ossa mea usq; fessa.


Idcirco totâ mente precor, DEUS,
Autor sacrați conjugii, ut piis

Favere tædis, atq; pulcrâ
Prole velit thalamum replere.

Sanctoq;

Sanctoq; Flatu vos foveat, regat,
Fletat, gubernet, sanaq; corpora
Et victum & amictum, & cuncta, vitæ
Hæc quibus usus eget, ministret.

*A Conrado Theopoldo
Sponse fratre.*



AD

Dominum Sponsum.

RECTÈ, Sponse, facis, tibi dum DOROTHEA cubilis
Consort legitimi morte diremta fuit,
Ad lecti transis quod vota secunda, tibiq;
Vxorem, Domino non reuente paras.
Ecce dies instat nixeo signanda lapillo.
Quâ venit in thalamos Sponsa secunda tuos,
Quam vera exornat pietas que flore nitescit
Virtutum, & multo laudis honore viget,
Queq; pudicitie formosâ lampade splendet
Plena nitore simul plena decore simul.
Hac pensare data facile atq; amissa prioris,
Optime Sponse, tori damna levare potes.

Tali

Tali igitur posito lateris conjuge luctu,
Exultans summâ de bonitate Dei.
Accipe, Sponse, tuam, quam affert Deus ipse, maritam;
Illam sincero pectore letus ama,
Et jucunda novo sustollas júbila plausu,
Exhilarent animum gaudia mille tuum.
Hoc igitur festum quoq; nos celebremus orantes
Omnes, qui Musis dedita turba sumus.
Vos & Pierides letos adsumite vultus,
Quotquot & Aonidum limina clara colunt,
Ferte animos hilares, nova Carmina ferte Camenæ,
Pleraq; cum Cytharis ferte sonora Deæ.
Vos decet altisonâ letum testudine Carmen
Ludere, & hac festos ducere luce choros.
Sed quid multa; Deus thalami benè cœpta secundet,
Et mea confirmet, quæ fero, vota, precor.
Felix, Sponse, tua cum Virgine vivito felix,
Nestoris incolumis secula vince. Vale

A Burckardo Crinitio
Paranympo.

C ALIUD.

A L I U D.

ET cælebs viduusq; miser? nam cura suarum
Rerum sola manet, sola & utrumq; necat:
Soluterq; cubat, cænat, facit omnia solus:
Nec quicquam veræ prosperitatis habet.
Perplacet illa piis, sociâ quæ gaudet amicâ,
Vita, Homini grata hæc, charaq; vita DEO.
Sic volucri volucris sociata, & turture turtur
Gaudet, sic socium læta læna petit.
Sic pia Virgo tibi gaudens habitare, beatum
Vitæ solamen Sponsa, levamen erit.
Pol bene ita est factum, tali vos sede locavit
Sors, socius læti quâ datur atq; mali.
Si, quid vota valent, quævis ego prospera Sponsis
Ominor, his votis annue quæso DEUS.
Vos ipsi Trinum casto veneremini amore,
Ut quæ jam duo, sint postmodò trina, precor.

d
Dauidæ Haustadio
Gymnasii Alumno.

VO.



V O T U M

Nuptiale.

Vota devotè juvenes venusti,
Vota devotè lepida puella,
Pro novis Sponsis, thalamo novoq;
Fundite Jhovæ.

Vota devotè Cane masculine,
Vota devotè cane fœminine
Ordo, pro Sponsis: cane tuq; Sponse,
Concine Sponsa.

Vota fiunt: En juvenum caterva,
Et puellarum comitatur aras
Ad sacras Sponsos, datur his Jhovæ
Lex ibi summi.

Scilicet, verè colat ut maritum
Sponsa, quem sponse Dominum supremus
Vult DEUS, rursus sociamq; Sponsus
Diligat ipse.

C 2

Ergo

*Ergo tu castam foveas maritam
Sponse, tu charum foveas maritum
Sponsa, sic vestrum thalamum beabit,
Christus Iesus.*

Cum votivâ apprecatione

F.

A Davide Cünemanno
Serveſtano.



A L I U D.

A Tra dies abiit, Sponse, en, post Nubila Phœbus
Mox læto radios exerit ore tibi:
B ellam etenim tibi jam præſtâti & Corpore Nymfanti
Rector olympiacus reddit ab arce poli.
O mnem jacturam thalami ſolata priorem
Succedit lecto Sponſa ſecunda tuo.
I ungitur, ecce, tuo lateri caſtiſſima Virgo,
Omnino homini cujus fama decusq; patet.
L audibus innumeris quam ornant Virtusq; Fidesq;
E xuperat Nymfas quæ pietate pias,

Præ

P ræ cunctis aliis consortem hanc usq; beatam
S ponse, tibi elegit provida cura D E I.
I sta tuos flexit sensusq; animumq; puella,
O mnibus ex Nymfis ista tibi placuit.

E xceptis cunctis te elegit Sponsa maritum,
T e solum elegit Sponsa venusta virum.

G aude, igitur, gaude ex animo nova gaudia, Sponse,
E x voto cum sic res tibi prompta fluat.

R eijcito ex animo tristes, mi Sponse, dolores,
T olle omnes lacrymas, lumina læta gere.

R identi Ambrosiam Sponsam complectere vultu,
A mbrosiæ Sponsæ da oscula multa novæ.

U t tibi jam Sponso, & Sponsæ gratentur amici,
D ulcia congestant carmina, vota, preces.

T ristitiæ ergo expers faveo his successibus, optans

E x animo vobis prospera quæq; meo
V itæ, Sponse, tuæ huic præsta iolatia Sponsæ,
P erpetuoq; illam pectore & ore cole.

O mine felici Gertrudem amplectere Sponsam,
L ongos cumq; meâ vive sorore dies.

D ulcis vive Soror perquam carissima Sponso,
I ustaq; Cumææ secula varis age.

A mbrosium Sponsum redama, tibi curaq; soli
E x animo usq; tuo sit placuisse viro.
S PONSIS, Christe, fave his, his ad sis tempore cuncto

A ulpicioq; tuo praesidioq; tuo.
N unc totus utq; unus, sic fac mens una sit, unum
N O lle, unum semper velle, sit una Fides.

Hls sa Crosan Cta trlas Votls Verè ann Vltò, oMnls
CVI LaVs, CVI VltVs, CVI qVoqVe VerVs honor.


Novæ affinitatis noviq; amoris & honoris

ergò

*à Chr: Tb: Sponse Fratre
natu minimo.*

F I N I S.





Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017







Farbkarte #13

B.I.G.

219

20

A

m Pietate Eru-
ntis, Reveren-

R O S I I
I S I N V V E I -
v vigilantissimi,
S I.

naq; Virginis

D I S ;
rendi Viri
T H E O P O L D I
Anhaldici Cifalbi-
ntendentis dignissi-
ncionatoris Prima-
rimum

I. E I D. J U N. I N
NO NOVO.

nibus, fratribus &

s clo. loc. XXIV.

charias Dörfler.

